



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Linthea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A sitatem, cupiditatumque varietatem, in ea aetate præcipuam commonstrarent. In Jossippo vero puero per versicolorem vestem doctrinarum & virtutum copiam, quæ jam ex ejus indole concipiebatur, intelligit Adamantius. Quod vero lex nostra præcipit, vestem ex duobus textis non induendam, eo respicit, quod minime debeas Christum adorare simul & dæmonas: id enim est abominabile vestimentum. Non vult enim hominem semel Deo dicatum, diabolicis sese immiscere negotiis, neque simul orationibus incantationibusque vacare, & hujusmodi alia, quæ in spiritus contumeliam quotidie fiunt. Neque vetat hoc lex in textis tantum, verum etiam diversi generis animalia commisceri prohibet, circumcisionem quippe, atque baptismum, ut ait Hesychius, non esse commiscendos.

LINTEA. CAP. XXXVII.

L Intea vestis alba supra ceteras vestes induta, puellaris ætatis indicium fuit, quod eo genere amiculi apud veteres puellæ ante duodecimum annum utebantur. Hinc illud apud Afranium citatur: *Puella non sum, supparo si induta sum.* Vult vero Nonius supparum linteum esse femorale, usque ad talos pendens, dictum quod subtus appareat. Sunt etiam puellares vestes ex Varronis jussu, chlamydes, encobomata, ac parnaces, quas jubet ut puellæ habeant, potius quam togas. Utcumque, longa vestis omnino fœminea est, aut citharædica, de qua Maro:

*Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

*Supparum
Nonii.*

Æneid. l. 6

Ita Propertius libro II.

Pythius in longa carmina veste sonat.

FIDES LUBRICA. CAP. XXXVIII.

N Onianum vero supparum adducit in memoriam mihi linteum alterum, quo mulieres hodie passim utuntur domi. Id infra thoracem accingitur, & ad pedes usque propendet, anterioreque tantum partes velat, vulgo non improprie gremialia vocantur. Habet hoc vestimentum genus hieroglyphicum suum. Nam proverbium est. *Nec mulieri, nec gremio credi oportere.* quod & illa incerti & levis animi sit, & in gremio posita plerumque cum in oblivionem venerit, illis temere, surgentibus, precipidunt.

*Ad Verbum
ab Erasmo.
Chil. 4. cen-
tur. 4. pro-
verb. 89.*

FIDES LUBRICA. CAP. XXXIX.

S Innum hunc Latini mihi videntur appellasse, quamvis ejus locutionis late patet usus, præsertimque ubi potestatem aut quid fidei creditum significat, ut altero & vigesimo Pandect. lib. Tit. 3. Scævola: *Titio C. do, lego, que mihi pertulit que ideo ei non cavi, quod omnes fortunas, & substantiam, si quam a matre suscepit, in sinu meo habui, sine ulla cautione.*

*Scævola l. 1.
Pandect. 21.
Titulo, de
probationi-
bus.*

PRÆTEXTA. CAP. XL.

P Rætextam nonnulli putant togam fuisse, quæ ad talos usque produceretur, dictam quod in ea purpura prætexeretur. Per eam honorem intelligebant, qui esset cupiam habitus: honestorum enim prætexta erat, ait Pædianus, toga viliorum. Alii nomine hoc purpuream quamdam fasciam valde latam intelligunt, quæ tamen multipliciter plicata in angustum contraheretur, atque ita supra alia vestimenta nunc ab humeris, nunc à pectore in fasciæ modum circumduceretur, nunc ejus capita utrimque ab humeris in pectus demitterentur: cujus generis amicula Romæ plerisque antiquorum statuis inducuntur conspicias. Et in Veneta nobilitate qui togati incedunt, eo omnes amiculi genere utuntur, eo excepto, quod purpurea apud eos in usu non est, sed ex nigra panno plurimum. Purpura enim non nisi magistratibus conceditur, hisque insignioribus. Nuptialibus quoque, & cum primi honores, quos procuratorios vocant, alicui differantur (sunt vero hi sacrarum largitionum præfecti) tunc consanguineis & cognatis & affinis licet per aliquot dies uti purpura in lætitiæ gratulationisque significatione. Sed admonet me color purpuræ, ut quid in Divinis literis manus coccino præligato sibi velit, exponam: Zaræ manus inquit Judæ filii, quæ se de matris utero porrexit: nulli enim dubium esse id hieroglyphicum, per quod Theologi, ut apud Irenæum est, Judaicum populum simplicibus legis operibus & circumcisionis sanguine insignem, qui prius apparuerit, seque mox retraxerit, loco alteri fratri,

*Apud Ven-
tos præ-
texta in u-
sa.*